



1. Ris

2. Ris

3. Ris

4. Rod

5. Rod

6. Rod

7. Rod

8. Rod

9. Rod

10. Rod

11. Rod

12. R

13. R

14. R

15. R

16. R

17. R



*Zuv. Thes.*  
DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS  
DE  
**O V O,** //

**PASSIONE** <sup>SEU</sup> **GALEATA,**  
CEPHALEÆ SPECIE.

---

QUAM  
AUSPICE ARCHIATRO SUMMO,  
AUCTORITATE ET CONSENSU  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ,  
IN ILLUSTRI ARGENTORATENSIMUM UNIVERSITATE,

---

AD DIEM XXIX. JANUARII, A. R. S. M D C C L V.  
HORIS LOCOQUE SOLITIS,

---

**PRO LICENTIA**  
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES  
PRIVILEGIAQUE DOCTORALIA  
RITE CAPESSENDI,  
SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT  
**JOHANNES NICOLAUS ROSEL;**  
MONTISBELIGARDIÆ PRACTICUS.

---

**ARGENTORATI**  
STANNO PAUSCHINGERIANO.



Q. \* V. \*

# ARCHIATRO SUMMO, PATRONIS SOLIDIS, AMICIS VERIS, ÆGRIS PATIENTIBUS, SACRUM!

\* \* \*

-153 (3) 80-



Q D B V

\*  
DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS  
DE  
O V O,  
SEU  
PASSIONE GALEATA.  
\*

---

§. I.

**I**nter tot, Corpus humanum undique laces-  
entes, Morbos, nullus tam frequens oc-  
currat, tamque familiaris existit, ac CAPITIS  
DOLOR *in genere*.

§. II.

Hoc experientiâ quotidianâ ita comprobatur,  
ut neminem ferè Mortalium reperisse constet,  
cui Caput, plus minusve, non doluerit.

A 2

§. III.

## §. III.

*Onomastologia.*

Affectus verò , de quo brevissimè nunc tractaturus , in specie rarior est , & OVUM seu PASSIO GALEATA audit, ob dimensionem spatii , quæ , Galea instar aut Ovi testæ convexæ , capitis Bregma occupat. Speciesque est Cephalæ : [â græco Κεφαλή Caput.]

*Descriptio.*

*Est enim* OVUM molesta atque dolorifica tensio fibrarum , non Pericranii tantum, sed & maximè duræ matris ipsius. Quæ tunicæ sensiles ambae , vario modo , stringuntur , crispantur , vellicantur , à Sanguine , non modò copia & motu , sed & qualitate , peccante ; qui nimirum , per Arterias Carotides varias , hisce membranis , capiosiori satis impetu impellitur : *Imò quandoque , eodem à sanguine , largissimè ibidem stagnante.*

*Subdivisio.*

Passio hæc vel universalis existit ; cum totam Calvariam ferè involvendo affligit : *Vel particularis* ; dum ultra tractum Suturæ sagittalis se extendi non patitur : *Vel continua* ; dum sine aliquali intermissione , diu noctuque , caput excruciat : *Vel intermittens* ; dum post certum quidem tempus , dolor quadantenus remittit , sed , statu deinde tempore rediens , periodice quasi exacerbatur.

PHÆ-

---

## PHÆNOMENA ANTECEDENTIA.

---

### §. VI.

*Cause* hujus morbi *proëgumenæ* ex *Rebus naturalibus* videntur accusare 1.) Ætatem, & ju-  
venilem, & virilem ; tanquam huic affectui  
magis faventem. 2.) Temperamentum sangu-  
neo-cholericum ; propter tensionem fibrarum  
Sanguinisque abundantiam innatam.

*Cause  
proëgumenæ.*

### §. VII.

*Ex Rebus non naturalibus Aër censetur*,  
calore nimium æstuans , validiusque motus ;  
qui, dum corpus subit, tūm Sanguinis aliorumque  
Succorum particulas subtiliores , Poris patulis  
factis, magnam partem in auram avolare facit,  
ut sic crassiores saltem remaneant, Sanguisque  
& reliqui Succi crassescant , & ita statibus ac  
obstructionibus ansam suppeditent. Hûc insuper  
idem *Aër*, tanquam Luminis & Soni vehiculum  
censendus ; si nimirum , vel nimis lucidus, diu  
oculis excipiatur ; vel nimis sonorus aut tre-  
mulus, aure exceptus, membranam *tympani*  
vehementer percutiat.

A 3

§. VIII.

## §. VIII.

Vita porrò sedentaria, Otium litterarium, Studia nocturna ac Vigiliæ nimia, cum partculis subtilioribus Massam sanguineam depau- perent, fibras stringant, cruditatesque cumulent, non minus occasionem addunt. Sola enim intensior Meditatio quatenus intendit Menin- gum tonum, humorumque remoratur refluxum, hisce κεφαλής partibus dolorem non potest non inducere exacerbissimum. Hūc pariter facit Vini nimia potitatio; Sanguinis nimirum orgas- sum augendo: Ut & Odores fortiores ac penetrantiores; e. g. Moschi, florum Auran- torum, Liliorum convallium, Rosarum, Tu- berosarum, Mezeræi, &c. præsertim in iis, qui Systema nervosum tenuioris ac delicatioris tex- turæ possident. Item Evacuationum Sanguinis consuetarum & retardatio, & plenaria suppressio; v. g. Narium hæmorrhagia suppressa, Mensium Hæmorrhoidumque fluxus emanſi; qui, dum denud erumpunt, rebellem hunc sèpius morbum plenarie solvunt. Adde etiam plagam fortiorum, impetum violentiorem, concussionemque ve- hementiorem; cuius exemplum, proprio cor- pore expertum, ad calcem hujus Dissertationis proferam.

\*

PHÆNO-

MIV 2

2 A



\*

## PHÆNOMENA CONSTITUENTIA ET CONCOMITANTIA.

---

### §. IX.

*Signum Passionis Galeat & pathognomonicum* est dolor capitis distensivus, vellicatorius ac lancinatorius; qui quandoque periodicus quasi existit, certo nimirum tempore recurrens, & modo recidivationis, typum febrilem efformans: Ratione extensionis verò definitus, tractum istum Suturae sagittalis, ceu locum proprium, sibi vindicans.

*Signum Pathognomo-  
nicum.*

### §. X.

*Phænomena* quæ conjunguntur *alia* sunt *Signa alia*. intolerabilis, tensiva, ac vertiginosa quasi Capitis Debilitas: Quæ sèpè sèpissimè, vesperascente ccelo, molestior fit; cum pulsu celeriori, siti, calore & agrypnia. Urina insuper, quæ ab initio lixiviofa comparebat, & sine sedimento, aucto morbo, turbulentior fit, cum lateritio ac satis crasso tunc sedimento.

\*

PHÆNO-

---

## PHÆNOMENA CONSEQUENTIA.

---

### § XI.

*Prognosis.*

Circa *Prognosin* notandum venit, quod præsens Capitis affectus minimè destituatur periculo; juxta effatum Senis nostri, HIPPOCRATIS, in *Aphorismor. Sect. VI. Aphor. 51.* ubi exprestè dicit: *Quibus sanis dolores derepentè sunt in Capite, & statim muti sunt ac stertunt, intra septem dies pereunt, nisi Febris eos prebenderit.*

### §. XII.

*Subjectum  
Morbi.*

Porro quô inverteratius sit CAPITIS OVUM, eô curatu quoque difficilius; & nil nisi subsecuturæ Phrenitidis, Lethargi, Comatis aut Apoplexia metum post se relinquit; ex congestione nimirum, stagnatione, pressione, imò tandem metuendâ extravasatione Sanguinis, ibidem haerentis.

### §. XIII.

Hujus denique AFFECTUS GALEATI  
*Subjectum Speciale* sunt, & Pericranium, &  
Menin-

Meninges; quatenus, præter naturam, plus quam spasmodicè contrahuntur; Sanguineque nimio distenduntur; aut à Serofitate quadam acri, dolorificè, crispantur, irritantur ac arroduntur.

\*

---

## THE R A P I A.

---

### §. XIV.

*In Curatione igitur Morbi nostri Galeati* *Curatio*  
*Indicationes necessariæ hæ sunt!*

- 1.) Motum humorum nimium ad Caput revellere, aliorum derivare, atque plenariè discutere.
- 2.) Spasmorum causam acrem, impingen-tem ac stimulantem, corrigere & evacuare.
- 3.) Dolores vehementissimos, vellicatorios ac tensivos, mitigare atque sopire.
- 4.) Denique τῆς Κεφαλῆς Tonum suum naturalem, vel per convenientia antispasmodica, vel per conducibilia tonica atque nervina, denuò inferre.

B

§. XV.



## §. XV.

*Indicatio  
prima.*

Prīmæ igitur *Indicationi* ut satisfiat, ē fonte chirurgico in auxilium vocanda erit *Veneſectio*, *Veficatoriorumque applicatio* congrua atque repetita; pro scopo scilicet revulsorio.

## §. XVI.

Pro scopo deinde derivatorio *Cucurbitulae* conducunt; tūm siccæ, tūm cruentæ, sive Scārificationibus stipatæ; toto scilicet Vertici raso, repetitâ appositione, applicatæ.

## §. XVII.

Nec minus etiam *Emplastrum* quoddam *cephalicum*, toti capiti raso imponendum, magni hīc est pretii: v. g.

R. Emplastr. de Betonic. 38.

Aſſ. fœtid. 3ij.

oo ſt. Succin. gr. xij.

Rut. gr. vj.

Lavendul. gr. iij.

Cinnam. gr. j.

M. f. l. a. Emplastrum.

Quod singulo nyctemero detrahendum & abſtergendum, imò per aliquot dies continuandum. Huic insuper imponi potest *Sacculus*, ex Speciebus pro *Cucuphis* officinalibus, confectus.

## §. XVIII.

— ( II ) —

§. XVIII.

Tandem magnum nonnunquam auxilium,  
hôc in OVO, afferunt *Suppedanea*, plantis pedum  
apposita; & ex Fermento, parum Salis, Radice  
*Pœoniæ*, Raphani, Herbâque *Rutæ* recentis,  
parata.

Nucha insuper, Regioque retrò aures,  
sequentि *Balsamo nervino* inungi conduceat:

*R.* 80 N. M. express. 9ij.

Axung. Caſtor. 3j.

80 St. Rut.

Succin. ana. 9ij.

Lavendul. gr. vi.

Ligni Rhod.

Mac. ana gr. ij.

M. d. ad Pyxid. stann.

§. XIX.

Ad materiæ deinde acris, impingentis ac  
stimulantis, eliminationem promovendam,  
*Purgans* sequens præscribi poterit:

*R.* Rad. Rhabarb. elect.

Fol. Senn. f. stip. ana 3ij.

Infunde per *P* in f. q.

▽ Cichor.

ad extractionem Tincturæ;

Colaturaæ 3ij, deinde adde

Syrup. de Cichor. c. Rhab. 3j.

M. d. ad XX. S.

*Medecine, pour prendre le matin, à jeûne, & une heure  
après un Bouillon sans Sel.*

B 2

§. XX.

## §. XX.

*Indicatio  
secunda.*

Post factam deinde debitam evacuationem,  
*secundæ Indicationi inservient Pilulae sequentes,*  
*& corrigentes, & evacuantes:*

R. Mast. Pil. Mastich. 9j.

Extr. Ellebor. nigr.

Castor. ana. gr. v.

Trochisc. Alhandal. gr. j.

Elix. Propri. q. f.

M. f. l. a. Pil. pond. gr. jf.

de Or. d. ad Scat. S.

*Pillules, pour prendre toutes à la fois, avant de se coucher.*

*Indicatio  
tertia.*

Quō verò dolor vehementissimus sopiatur,  
& Agrypniae succurratūr, tertiam juxta Indicationem, pro remediis, præsertim nocturnis, aptè convenient Emulsiones ex Seminibꝫ Cardui Mariæ, 4. frigid. major. Papaveris albi, Violarum aut Pœoniæ, cum Aqua Betonicæ, Verbenæ, Scordii, Cerasorum nigrorum, Florum Tiliae, Liliorum convallium, aut aliis quibuscunque, paratæ; additis quandoque Syrupo Capillor. ♀ris, dialthææ Fernelii, Papaveris albi, &c. Nec non Lumbricis terrestribus præparatis, Succino albo præparato, Lapidibus Carpionis, Cancrorum, Percarum, Asellis præparatis, Pulvereque epileptico Marchionis, &c.

## §. XXII.

§. XXII.

Pro scopo tandem tonico naturali recuperando, modò Nervina, Cephalicaque, modò verò leniora Antispasmodica, erunt præscribenda: Inter qualia eminent Liquor anodynus mineralis HOFFMANNI, Liquor Cornu Cervi succinatus, Tinctura Tonica STAHLII, Oleum animale DIPPELII, Sal volatile oleosum SYLVII, Specificum cephalicum MICHAELIS, Pulvis temperans WEDELII, Pulvis antispasmodicus, Flavedo Corticum Aurantiorum, Millepedes præparati, Succinum præparatum, Cinnabaris nativa præparata, &c. cum vehiculo quodam cephalico, interdiu quandoque propinata.

*Iudicatio  
quarta.*

§. XXIII.

Illorum medicamentorum intervallis, liberatiter hauriendum commendari poterit *Apozema* ex Herba Veronicæ, Herba & Floribus Betonicae, Floribus Paralyseos, Visco quercino, Radice Sarsaparillæ, & tantillo Ligni Sassafras Seminisque Anisi stellati: Præcipiendo simul, ut, si per horum medicamentorum usum, blanda succederet Diaphoresis, illa minimè impediretur.

B 3

DIÆTA,



## D I Æ T A.

§. XXIV.

*In Dieteticis restat, ut sedulò vitentur omnia,  
quæ ex Rebus nonnaturalibus, tanquam causæ  
proëgumenæ, supra jam allata sunt.*

*In Potu & Cibo, frigida præsertim &  
flatulenta, quæ Ventriculo semper sunt inimica,  
angue & peste pejus, nullo non tempore sunt  
vitanda.*

*Victus sit tenuis, ex Jusculis chærefoliatis ;  
aut Succo Citri quandoque acidulatis ; subinde  
etiam cum Vitello Ovi recente in illis debite  
conquassato ; Cremoribusque Hordei tenui-  
bus, &c.*

*Conclave Aegrotantis jugiter sit obscurum  
ac tenebricosum ; altum undique apud illum  
regnet silentium. Situs etiam illius in lecto  
altior*

altior sit consuetô ; *Colli* insuper ne minimam unquam strictruram, sed uberrimam laxitatem, imperando ; *Secretionesque ac Excretiones naturales* debitè , & quantum licet, promovendo.

*Vinum* penitus exulet ; ejus autem in loco *quis salubrioribus aut Acidulis lenioribus uti poterit Æger.*

T A N T U M.



CASUS,

Sicut in coniunctio; & quod insipit in ministrant  
sudoribus insipit in tempore; sed in virtutem paxis et  
obsequio; & amorem de exortationes sunt.

---

## C A S U S.

---

*Ante quindecim fortè annos, cùm ipse  
Studio medico Tubingæ operam da-  
rem, circa vesperam, certæ cujusdam  
diei, mihi prætereunti, è fenestrâ quartâ  
contignationis domus Claustræ vicina,  
decidebat vas fictile quoddam terrâ uber-  
rimâ repletum, immediate in Caput,  
tanto quidem impetu, ut me non modò  
fulgere percussum, sed Claustro ipso  
collabente obrutum, crediderim.*

*Accessere statim Tinnitus Aurium,  
Oculorum Obnubilatio & Stupor.*

AU2A2

Ad

Ad mentem revocatus, passus aliquot tentare volens, pedibus renitentibus, humili prostratus vomere cogebat; & paulo post dolore atrocissimo, circa os sacrum, cum motibus variis spasmoidicis corripiebat.

Nil extus cernebatur, nec *Vulnus*, nec *Contusio*, nec *Impressio*, nec aliud quidquam.

Saphanà pedis dextri, jussu Praeceptoris mei colendissimi, vñ èr àylois, D. D. MAUCHARTI, sectà; ac propinatis mihi Emulsionibus, ex Seminibus quatuor frigidis majoribus; Potiunculisque variis absorbentibus, nervinis & antispasmodicis; omnia ferè graviora, post aliquot septimanias, evanuere symptomata. Restabat verò mihi aliqualis Capitis Dolor, qui, Tiara minus profunda instar, ex linteo madefacto confecta, verticem tantum obtigebat; & singulo manè, ab C hord

horâ decimâ usque ad tertiam pômeridiânam , misellum Caput meum periodice excruciat , donec post redditum in patriam Aquâ (\*) sani fontis , [ut vocant] biborio ab urbe Montisbeligardenium distantis , Vitriolo Martis impragnatâ , usus fuerim . Qua cura adeò feliciter erat suscepta , ut ab eo tempore OVUM de Medico ovare desierit .

---

(\*) Hujus Fontis , ad pagum Lougres siti Historiam & virtutes scripsit celeberr . JOHANNES BAUHINUS , Serenissimi Ducis Würtembergici Archiater , &c. in Tractatu peculiari gallico .

---

---

Th Θe

τριστρίψω καὶ τριστρεγίζω

Δόξα.



\*

Vous manquiez, MONSIEUR ! de subir

La Mort , d'un *Mal de Tête* :

Mais Vôtre Art la fait fuir,

Et bâtre la Rétraite.

*Le Montbeliard louë les Talents*

*De Vôtre grande Scïence !*

*Et Strasbourg Vous donne maintenant,*

*Comme Docteur, la Licence.*

MONSIEUR,

en lisant ces peu de mots,

resouvenez - vous

de Vôtre

très fidèle & sincère Ami,

GEORGE HENRI BEHR,

Docteur en Médecine de Strasbourg,

Conseiller aulique & premier Medecin

de S. A. S. Mgr. le Prince de Hohenlohe - Pfedelbach,

&

Membre de diverses Sociétés des Sciences.

\* \* \*



Freund ! Wie laufst die Zeit herum ? Denke : Wie vor fünfzehn  
Jahren  
Wir schon, aus gerechtem Trieb, zu Tübingen, Freunde waren !  
Wie uns Mauchart dort belehret, wie uns Hoffmann unterweiss,  
Und wie jeder, von uns beyden, gute Hoffnung blicken ließ !  
Sachsen bahnte mir die Bahn, kurz darauf, zu Phöbus - Ehren;  
Und Du liest zu Mümpelgard Deinen Witz indessen hören.  
Doch der Trieb zu höhern Stufen, führt dich lezt nach  
Strassburg hin ;  
Wo ich, als ein Martis-Diener, gleichfalls angekommen bin.  
Da steht Pallas nun bereit, Dich, nach Würden, zu belohnen,  
Und Hygaa flechtet Dir, wirklich schon die Ehren-Kronen.  
Wohl demnach ! Empfang' den Lorber ! Welchen Du schon längst  
verdient,  
Ob er gleich, nach späten Zeiten, erst um Deine Schläfe grünt.

Seinem Hochgeschätzten Freund  
zu beständigem Andenken  
setzte dieses  
Georg Friderich Faber,  
der Arzney-Gesahrheit Doctor,  
und  
ehemaliger Hauptmann des Königl. Franz. Regim. von Fischen  
Opponens.

VD18

**ULB Halle**  
007 470 061

3





**Farbkarte #13**

B.I.G.

Black

3/Color

White


Magenta

Yellow

Green

Cyan

Blue



ZUV OEG.

ERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

D V O,

S E U  
IONE GALEATA,  
CEPHALEÆ SPECIE.

QUAM  
ICE ARCHIATRO SUMMO,  
CTORITATE ET CONSENSU  
OSÆ FACULTATIS MEDICÆ,  
ARGENTORATENSIMUM UNIVERSITATE,

XXIX. JANUARII, A. R. S. M D CC L<sup>V</sup>.  
HORIS LOCOQUE SOLITIS,

O LICENTIA  
IN ARTE MEDICA HONORES  
ILEGIAQUE DOCTORALIA  
RITE CAPESSENDI,  
ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT  
NES NICOLAUS ROSEL;  
NTISBELIGARDIÆ PRACTICUS.

ARGENTORATI  
NNO PAUSCHINGERIANO.